

077.

VTRVM ET QVATENVS LEGIBVS PRAE-
SERTIM PROHIBITIVIS RENVN-
CIARI POSSIT?

DISPV TATIO
QVAM

PRAESIDE

D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSILII SVMMI
PROVOCATIONVM SENATVS DECRETALIVM PROFESSORE PVBLICO
FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIO CONSISTORII ECCLE-
SIASTICI DIRECTORE CVRIAE PROVINCIALIS
ET SCABINATVS ASSESSORE

DIE XXI. AVGVST. A. S. R. c1o1occlxxxxii.

H. L. Q. S.

DEFENSVRVS EST

AVCTOR

ERNESTVS FRIDERICVS PFOTENHAVER

DELITIENSIS.

VITEBERGAE,

EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS.

13

1792
72



UTRUM ET QUANTUM LEGIBUS PRAE
SERVARI PROHIBITUM RERUM
CIVILIS POSSIT

DISPUTATIO
CIVILIS

DAVID GEORGIO STEPHANO
ALESSANDRO

PROFESSORIS PRAECEPTORIS
ET CENSURAE PRAEPOSITI
IN ACADEMIA REGIA
SARONICA

ERNESTVS FRIDERICVS POTENHAYN
DIGESTOR

VITTEBERGAE
EXCULPT ADAMVS CHRISTIANVS GRAMMEL



PERILLVSTRI ATQVE GENEROSISSIMO
DOMINO
FRIDERICO WILHELMO
L. B. DE FERBER

DYNASTAE IN IAENKENDORF

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIS IN-
TIMIS, DIRECTORI VICARIO DEPVATORVM AD RES OECONOMIAE
ET MERCATVRAE, SANCTORIS SENATVS, QVI REBVS FIS-
CALIBVS PRAEEST, CONSILIARIO. REL.

ERNESTVS EMBERTVS MONTENAVIER



HOC
QVALECVNQVE SPECIMEN ACADEMICVM

D. D. D.

SEQVE AC RES SPESQVE SVAS

TRADIT ATQVE COMMENDAT

DEVOTISSIMVS CVLTOR

ERNESTVS FRIDERICVS PFOTENHAVER.



V I R

PERILLVSTRIS ATQVE GENEROSISSIME,
PATRONE INDVLGENTISSIME

*S*antus fuit, VIR PERILLVSTRIS, pietatis atque ob-
seruantiae in Te meae sensus, vt non angusti animi ta-
citi quasi finibus contineri se coercerique pateretur, sed
iam diu in lucem conspectumque prodire gestiret. Qua-
propter hanc occasionem tamquam diuinitus oblatam ar-
ripui, et ingenii mei primitias, quamuis tennes, TIBI
dicare, et PERILLVSTRI NOMINI TVO inscribere non du-
bitavi, certissima spe fretus, fore, vt pro singulari in-
dulgentia atque humanitate TVA, eas magis ex studio
prae-

PERILLVSTRIS AEGE GENEROSISIME
praeclara conandi, quam ex ipso euentu aestimandas,
et non quid, sed quo animo offeram, benignissime respi-
ciendum putes. Ceterum nihil magis habeo in votis,
quam ut meritorum TVORVM fructus capias uberrimos,
et omnibus bonis, quibus humana censetur felicitas, cu-
mulatissimus, per longissimum temporis spatium salutem
publicam adaugeas, meque Patrocinio Tvo, quo ego
nihil scio majus atque exoptatius, haud indignum in-
dices.

PERILLVSTRIS NOMINIS TVI

DEVOTISSIMVS CVLTOR

ERNESTVS FRIDERICVS PFOTENHAVER.



Com civium quibus libertas tantum...

§. I.

Eum homines, qui nullis legum vinculis adstricti, sola rationis vestigia sequebantur, imperio civili se subiicerent, libertatis, quae antea gaudebant, et iurium naturalium directionem, quatenus ipsi de iis disponere poterant, et finis reipublicae hoc exigebat, principi detulerunt. Propterea etiam legibus, quas princeps vi summae potestatis praescribit, obtemperare, et secundum earum normam actiones suas componere tenentur, neque ab earum vi obligatoria proprio ausu se eximere possunt. Nihilominus tamen saepe quaesitum memini, utrum quis legibus, quae ipsi latae sunt, renunciare, et declaratione, se hac vel illa lege teneri nolle, ab eius obsequio se liberare possit? Qua quidem in re cum magnum animadverterim doctorum virorum dissentium, varias eorum sententias in hoc libello enarrare, et, quatenus per tenuitatem ingenii licet, explorare constitui. Cum vero pro legum natura diverso modo ad hanc quaestionem respondendum sit, necessario requiritur, ut non solum quasdam iuris divisiones, additis simul explicationibus necessariis, afferamus, sed etiam causas, quae legislatorem impellunt, ut, aliquid praecipiat, vel prohibeat, diligenter inuestigemus.



Cum ciuium agendi libertas eatenus tantum restricta sit, quatenus finis reipublicae hoc exigit, iis in ciuitate non solum iura quaedam naturalia manent salua, sed noua quoque, quae ipsis antea non competeabant, conceduntur, ita, vt ab iis vel exerceri, vel omitti possint. Complexus legum, quae ciuium libertati aliquid relinquunt, *ius permissiuum* vocatur. Quoniam vero fieri potest, vt facultas hoc vel illud agendi vel intermittendi ciuibus simpliciter concedatur, vel modus quidam et forma, simul tanquam conditio addatur, *ius permissiuum in absolutum*, et *secundum quid tale*, diuidere solent. Posteriori casu eiusmodi iuri permissiuo simul ius cogens et praeceptum quoddam inest. Sic e. g. facultas ineundi matrimonium plerumque ad ius permissiuum refertur, forma tamen obseruanda, iuri praeceptiuo adnumeranda est. Iuri permissiuo opponitur *ius cogens*, i. e. complexus legum, quae ei, cui latae sunt, perfectam obedientiam iniungunt. Quamuis vero cuilibet iuri permissiuo ius cogens respondeat, ¹⁾ cum alii, quo minus alterum in eo, quod concessum est, exercendo impediunt, perfecte obligentur; tamen hanc diuisionem, quoniam legibus permissiuis coactio indirecte tantum inest, et ad eum, cui facultas quaedam competit, praesertim respicitur, ea quoque ipsis legibus nititur, ²⁾ rei quoque nostrae illustrandae haud parum inseruit, tolerandam putauimus. Omnia vero, quae ciues, vel propter naturalem libertatem a legislatore non restrictam, vel propter legum concessionem, pro arbitrio

¹⁾ Propterea hanc distinctionem reprehendunt Grotius de Iure B. et P. Lib. I. Cap. I. §. 29. et Pufendorf in Iure Nat. et Gent. Lib. I. Cap. 6 §. 15.

²⁾ Modestinus in L. 7. D. de leg. scribit, legis uirtus haec est, imperare, vetare, permittere, prohibere.

trio suscipere possunt, generatim *actus facultatis vocantur*, et huc referuntur privilegia, beneficia legum, iura singularia, facultas id, quod nobis ab altero debetur, persequendi, et multa alia. Eiusmodi vero actus interdum ita sunt comparati, ut eorum exercitium vel omisso e voluntate agentis ita pendeat, ut neque ipsi damnum, neque aliis ius inde oriatur, et in hoc casu vocantur *actus merae facultatis*.³⁾ Huc praesertim pertinent ea, quae vi libertatis naturalis, quatenus in civitate obtinet, peraguntur. Interdum vero etiam tales actus praescriptioni obnoxii sunt, et eius, cui competunt, negligentia amittuntur, et propterea *actus non merae facultatis* nominantur.⁴⁾ Omnibus, quae sunt iuris absolute permissivi, vel expresse vel tacite renunciare possumus, nisi a) leges sub conditione vel expressa vel tacita nobis ius concedant, ut eo utamur, quod in privilegio obuenire potest. Huc quoque pertinet, si b) iuris nostri omissione ius tertii turbetur, vel interuertatur, sic e. g. clerico sine consistorii consensu foro privilegiato renunciare non licet. c) Porro, si quis in eo statu sit positus, ut conditionem suam deteriore reddere non possit, e. g. minores, mulieres absque tutore et curatore, d) vel si renunciatio bonos mores offendat et turpe quid contineat.⁵⁾ Quod ius permissivum secundum quid tale attinet, in arbitrio nostro positum est, an actum quendam plane omittere velimus,

3) In notione actuum merae facultatis constituenda Icti mirum in modum dissentiunt. Conf. Eichmannus in den Erklärungen des bürgerlichen Rechts, Theil I. p. 38. Glückius in dem Commentar über die Pandecten, Th. I. p. 112. sq.

4) Eichmannus l. c. p. 40. simpliciter huc refert actus, qui pacto vel privilegio nituntur, a cuius sententia aliquatenus recedit Glückius l. c. p. 114.

5) L. 15. D. de condit. instit: Quae facta laedunt pietatem, existimationem verecundiam, et, ut generaliter diximus, contra bonos mores sunt, ea nec nos facere posse, credendum est.

velimus, ita tamen, vt, si eum suscipiamus, formae ac sollempnitatibus praescriptis renunciare non liceat.

§. 3.

Complexus legum, quae eum, cui latae sunt, ad obsequium perfecte obligant, *ius cogens* constituit, quod, quoniam vel ad agendum vel ad omittendum directe obligat, vel *praeceptiuum* est, vel *prohibitivum*. Legislator vero vel aliquid absolute et ita constituit, vt ciues ei *conuenienter vivere expresse iubeantur*, quod in omnibus legibus obtinet, quae ad iura ciuitatis, tanquam societatis arctissimo vinculo iunctae, conferuanda et ad eius felicitatem tuendam et augendam proxime respiciunt; vel tantum *hypotheticae*, si commodi ac favoris singulorum rationem habet. In hoc casu legislatoris consilium eo spectat, vt, deficiente pacto vel consuetudine, norma quaedam negotia ciuilia diiudicandi et lites de iis excitatas componendi adsit. Igitur paciscentium arbitrio relinquit, vtrum iis, quae in fauorem eorum introducta sunt, vt velint, nec ne. Sic e. g. casum ferre debet dominus, nihilominus tamen conductor pacto eum in se suscipere potest. In emtione venditione laesio ultra dimidium abesse debet, quamuis emtor hac ratione laesus, vel damnum aequo animo pati, vel iam antea huic exceptioni venditori metuendae renunciare possit. Legibus absolute cogentibus, quoniam proxime ad salutem reipublicae spectant, nemo unquam renunciare potest. Etiam legibus hypotheticae cogentibus, is, quem directe obligant, obedientiam denegare nequit, nisi alter, cuius interest, consentiat. Quatenus vero ad facultatem, id, ad quod praestandum alter lege iubente impellitur, respicimus, ius cogens ex natura iuris permissiuum diiudi-



diffinitur, et hoc respectu renunciatio sub limitationibus §. 2. expofitis, locum inuenit. Ius *prohibitium* facultatem agendi vel in totum denegat, vel tantum reftringit; priori cafu ius prohibitium *absolutum* eft, pofteriori *fecundum quid tale*, fic e. g. non omnes vfurae prohibentur, fed tantum immodicae, non omnis donatio extraiudicialis inualida declaratur, fed tantum ea, quae 500 solidos excedit. Quot uero caufae legiflatorem ad praecipendum impellunt, totidem eum mouent ad prohibendum. Cum uero de legibus prohibitiuis praecipue agamus, uariae earum fpecies paulo accuratius funt enumerandae. Primo prohibentur facta, quibus iura naturalia, quae homines in focietate ciuili falua eſſe uoluerunt, vel quibus uniuerfa ciuitatis ratio et forma nititur, animo confulto et immediate laeduntur. Quoniam hac ratione ciuium uita, uale tudo, libertas, fama et bonorum fecuritas detrimentum patitur, is, qui tale quid fuſcipit, totam ciuitatem tanquam unum corpus laedit. Complexus legum ad eiusmodi laefionem auertendam ſpectantium iuris criminalis nomine comprehenditur, a cuius uinculo, uti ſponte intelligitur, nemo propria auctoritate ſe liberare poteſt, quamuis negari nequeat, eum, qui proxime laefionem ſentit, ſatisfactioni, quae ipſi tanquam priuato debetur, renunciare poſſe, ita tamen, ut iudex etiam ſi non imploratus, nomine ciuitatis, poena publica delinquentem nihilofecius afficiat. Deinde uero legiflator uetat ea, quae modos impediunt, quibus ciues ad ſummum, quem pro reipublicae ratione aſſequi poſſunt, felicitatis gradum euehuntur, et iuribus ciuitatis mediate tantum nocent. 6) Leges hoc reſpectu latae, prout uel ad ſalutem ci-

6) De finibus iuris criminalis et poſitiae regundis docte diſputat Vir Conf. C. C. Stüblius in Comment: Quatenus actiones religioni non conuenientes poenae criminali-
bus



vitatis tanquam societatis consideratae referuntur, vel singulorum utilitati proxime inferuiunt; vel ad politiam, vel ad ius ciuile stricte dictum pertinent. Posteriori casu is, in cuius fatiorem alter aliquid intermittere tenetur, cum renunciatione sua a legis prohibitiuae obligatione liberare potest; eius vero, ad quem haec prohibitio spectat, renunciatio, sine alterius, cuius interest, consensu, vt facile patet, admitteri nequit. Simulac vero ciuitatis aliqua ratione interest, renunciatio plane cessat. Vti vero ad felicitatem, cum vniuersae ciuitatis, tum singulorum obtinendam, omnis negligentia in rebus grauioribus; omnia, quae lites excitant, delictis occasionem praebent, ordinem in rebus gerendis turbant, bonis moribus repugnant, et per se iam reprehensione digna censentur, omitti debent; ⁷⁾ sic etiam legislator ex eadem ratione negotia quaedam, quae sine relatione ad certum ciuitatis finem et conditionem, obligationem producere possunt, vel in totum tollit, vel effectum saltem iudiciale iis adimit. Quod vero, quoniam ex triplici ratione fieri solet, tres negotiorum prohibitorum classes constituamus: ⁸⁾

Primo negotium, natura eius considerata, quia liberum eius exercitium saluti ciuitatis noxium putatur, omnibus sine respectu ad personarum conditionem, interdicitur. Huc pertinent ludi fortunae, ⁹⁾ vsurae immodicae, ¹⁰⁾ pactum commissorium, ¹¹⁾ pactum

clum, ¹²⁾ *libus coerceri possunt, Viteb. 1791, Sect. 1, Cap. 1.* Multa quoque, quae huc pertinent, inueniuntur in *Diss. de discrimine inter delicta atrocina et lenia, a Io. Aug. Apelio, Praefide Keefio, defensa, Lips. 1791.*

⁷⁾ Diuersa legum genera, quae huc pertinent, in iure politiae commemorantur.

⁸⁾ Cf. praeclearus Weberi liber: *Von der natürlichen Verbindlichkeit und deren gerichtliche Wirkung.* Schwerin 1784. 4. Abth. p. 227 sqq.

⁹⁾ L. 36. C. de aleatoribus. *Manul. vep. Hauszinsbuch, d. a. 1766.*

ctum, quo quis alimentis sine consensu iudicis renunciat. ¹²⁾
etc.

Deinde nonnullis, salutis publicae ratione habita, facultas contrahendi negotium vel plane denegatur, vel saltem effectus, quem alias in iudicio producat, tollitur, aut restringitur, e. g. exclusio certarum personarum a bonorum immobilium acquisitione, clericorum a commercio, prohibitio matrimonii propter consanguinitatem vel adfinitatem, atque eiusmodi alia.

Tertio denique personae quaedam, respectu ad earum conditionem ipsorum fauorem, vel ab omnibus, vel a nonnullis negotiis excluduntur, quia leges propter animi leuitatem, vel intellectus imbecillitatem et imperitiam, laesionem aut morum corruptionem metunt. Huc pertinent negotia minorum, impuberum, mulierum et pro prodigis declaratorum, sine tutore et curatore initorum. Quid de renunciatione circa tales leges statuendum sit, infra docebimus.

§. 4.

Variis legum rationibus explicatis et regulis quibusdam iam constitutis, quid HOMMELIVS de renunciatione contra leges prohibitas suscipienda, existimet, nunc explicabimus. Hic ¹³⁾ rem ope distinctionis, expedire studet. Leges enim prohibitiuas vel *qualificatas* esse dicit, quae actum, contra earum dispositionem susceptum nullum declarent, vel *simplices*, cum quorum laesione nullitas non sit coniuncta; in posterioribus renunciationem valere putat, non vero in prioribus.

¹⁰⁾ L. 26. §. 1. C. de usuris. Rec. Imp. d. a. 1654. §. 174.

¹¹⁾ L. ult. C. de pact. pign.

¹²⁾ L. 8. C. de transact. L. 8. gr. D. eod.

¹³⁾ Rhapf. Quaest. Obs. 273.



bus. Etenim hanc ponit regulam: „super quibus causis pacifici et trans-
 „igere non licet, iisdem neque possumus renunciare.“ Quoniam
 igitur omnis renunciatio sit pactum, hoc de iis rebus, quas lex nul-
 las declarat, iniri non posse, ideoque neque aduocatum cum cliente
 pacifici, neque cuiquam sollempnitatibus in testamento praescriptis renun-
 ciare licere, contendit. In eo vero casu, ubi lex simpliciter aliquid in-
 terdicit, conventiones admittit et renunciationem validam censet, nisi
 ea turpe quid contineat. Huc refert, si maritus in uxorem modera-
 men familiae transferre, seque imperio maritali omnino abdicere vel-
 let. Aliud praeterea renunciationis illicitae exemplum, quod in Obs.
 379. commemorat, huc transferamus, quo melius mentem eius intelli-
 gamus. Verba eius sunt haec: „Pactum, ut locator conductorem vi-
 „priuata exmittere possit, nullius est momenti. L. 38. D. de pactis. Et-
 „enim ne quis sibi ius dicat, non solum in debitoris, sed in magistratus
 „favorem introductum, privilegio autem aliis concesso nemo renun-
 „ciat.“ Equidem pactum, quo quis imperio maritali se omnino abdi-
 cat, non inter ea referendum puto, quae per se turpia haberi debeant,
 cum multae eaeque graues causae maritum ad eiusmodi renunciatio-
 nem impellere possint. Quod vero alterum exemplum attinet, hoc
 quidem satis verum est, sed non propterea, quasi magistratus faculta-
 tem ius dicendi tanquam privilegium exercent, sed quia lex, quae vim
 priuatam prohibet, proxime ad salutem reipublicae spectat, nemini
 vero ea, quae leges ad salutem publicam praecipunt, vel prohibent,
 in alterius praerudicium mutare aut tollere licet. ¹⁴⁾

§. 5.

¹⁴⁾ Ita enim interpretanda est L. 38. D. de pactis: *Ius publicum pactis priuatorum
 mutari nequit.*

§. 15.

Vt vero ad ipsam Hommelii sententiam perueniamus, ea non tam rem ipsam explicare, quam aliam adhuc decidendi normam desiderare videtur. Denuo enim quaerimus, quomodo leges comparatae esse debeant, de quibus pacisci liceat. Etenim distinctio legum prohibitiuarum in *simplices et qualificatas*, idoneo fundamento destituta, nobis non satisfacit. Primo enim lex, quae fideiussionem mulierum prohibet, eam, si iam facta est, nullam declarat, ideoque ex mente Hommelii legibus prohibitiuis qualificatis est adnumeranda, in quibus renuntiatio valere non debet, nihilominus ipse Hommelius in *Obf. 598.* etiam in hoc casu renuntiationem fieri posse, agnoscit. ¹⁵⁾ Deinde quoque omnes actus contra legis dispositionem susceptos, vitio nullitatis laborare, ¹⁶⁾ non sana ratio solum docet, sed leges ipsae quoque confirmant. Qui enim negotia rite peragere et obligationem in se suscipere vult, eum oportet facultate esse instructum ea rite ineundi, cum ab eadem ipsius negotii vis atque effectus pendeat. ¹⁷⁾ Cum vero prohibitio in eo consistat, vt legislator ciuibus facultatem, hoc vel illud suscipiendi auferat, facile est ad intelligendum, actum, inuita lege susceptum, ipso iure nullum esse, etiamsi eius modi legis prohibitiuae laesionem poena insuper sequatur. Sententia nostra ipsa quoque legum auctoritate nititur. Sic sanxere Theodosius et Valent. in L. 5. *C. de leg: Nullum pactum, nullam conuentionem, nullum contractum*

b 3

inter

15] Id quod etiam monit Eichmannus in den Erklärungen des bürgerl. Rechts, Th. I. S. 35.

16] Hanc sententiam extra omnem dubitationem posuit Weber in l. c. 2 *Abtr.* pag. 297. sq. Cf. quoque Glückii *Commentar über die Pandecten Th. I. p. 101. sq.*

17] Pufend. *Ius Nat. et Gent. Lib. 3. Cap. 7. §. 6.*



inter eos volumus subssecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente. Quod ad omnes etiam legum interpretationes tam veteres, quam nouellas, generaliter trahi imperamus, ut legislatori, quae non vult, prohibuisse tantum sufficiat — et ea, quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet legislator prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, ¹⁸⁾ inutile esse debere, quod factum est. ¹⁹⁾ Eodem modo Ius Canonicum Cap. 46. de Reg. Iur. in 6to praecipit: Quae contra ius sunt, debent utique pro infectis haberi. Ex his omnibus satis luculenter apparet, distinctionem inter leges prohibitiuas simplices et qualificatas, per se parum idoneam esse, neque ad rem nostram explicandam aliquid conferre.

§. 6.

Alia ratione rem expedire studet HARTLEBENIVS ²⁰⁾ cuius sententiae subscribit EICHMANNVS ²¹⁾. Causa, inquit, cur aliquid prohibetur, vel A) sola reipublicae salute nititur, vel B) ad fauorem singulorum respicit, Priori casu renunciatio illicita est, hic enim locum habet L. 38. D. de pact. quae ius publicum priuatorum pactis mutari non posse, statuit, sic e. g. legi, quae donationem extraiudicalem 500 foli-

18) Errat igitur Grotius cum aliis, de iure Bell. et P. Lib. II. Cap. 5. §. 14. n. 4. et 10. qui requirit, ut lex nullitatem expresse statuât. Distinguit enim inter prohibere et actum irritum declarare, et in priori posterius non contineri putat. Contrarium tamen satis luculenter ostendit Eichmann l. c. Th. I. S. 31.

19) Propterea sublata est distinctio legum inter perfectas, imperfectas et minus quam perfectas, de qua vide Vlp. Fragm. Tit. 1. §. 2. ibid. Schulting. et Pufend. I. N. et G. Lib. I. Cap. 6. §. 14.

20) In Medit. ad Pand. Sp. 3.

21) In den Erklärungen des bürgerlichen Rechts, Th. I. S. 35.

solidos excedentem, prohibet, renunciari nequit. Posteriori casu distinguendum est, a) utrum simul salutis reip. ratio habita sit, ubi quoque renunciatio non admittitur, quo referenda est lex, quae vsuras immodicas vetat; b) an vero vnice singulorum commodis prospicuum sit, ²²⁾ hic, quoniam quisque fauori pro se introducto renunciare potest, renunciatio valet, ²³⁾ e. g. si quis tempore feriarum citatus in iudicio comparet. Nisi quis forte in eo statu sit, ut conditionem suam deteriore reddere nequeat, vel simul tertii interfit, tum enim eius consensus requiritur. Sic filiusfamilias Senatus Consulto Macedoniano sine patris consensu, renunciare nequit.

§. 7.

Quodsi quis ea, quae superiori §. exposita sunt, perpenderit, statim intelliget, regulas ibi traditas tam multis restrictionibus esse limitatas, ut ipsae fere corruant. Praeterea quoque Hartlebenius committere videtur casum, si quis ei, quod in ipsius fauorem introductum, adeoque iuri permissiuo adnumerandum est, et aliis, ne ipsum in iure suo exercendo turbent, tantum indirecte iniungit, cum eo, si leges id, de cuius renunciatione quaeritur, simpliciter prohibent ciuesque directe obstringunt. Nam, quod quis in feriis coram iudice se sistere non cogatur, est iuris permissiuo et iudici tantum indirecte aliquid praecipitur. Quamuis igitur citatio, quae in feriis aliquem vocat, nulla sit, potest tamen eius, cuius interest, consensu vel expresso vel tacito, i. e. comparitione legitima, conualescere. Sed renunciatio SCti Macedoniani, cum eius dispositio legibus directe prohibitiuis annumeranda sit, longe alia ratione erit diiudicanda. §. 8. Deinde quoque duae classae sub lit. A. et a. §. 6. constituuntur, iis tamen exempla vnus eiusdemque generis subiiciuntur. Nam proxima ratio donationis extraiudici-

22] L. 7. §. 14. D. de Post.

23] L. penult. C. de post.



alis, quae 500 solidorum summam excedit, prohibita eo tendit, ne
 ciues immodicis et inconsideratis donationibus bona sua dissipent, et
 feria atque constans donatoris voluntas extra omnem dubitationem
 ponatur. Sic leges certum vsuris modum constituentes curant, ne
 ciues, qui, aeris inopia pressi, ad aliorum auxilium confugere et mu-
 tuam ab iis sumere coguntur pecuniam, improborum foeneratorum
 auaritiae exponantur, qui vsuras exigunt, quae sine magno debitoris
 detrimento praestari non possunt. In utroque casu ciuium felicitas
 quidem spectatur, reipublicae tamen maxime interest, ne res familiaris
 singulorum, vel ipsorum imprudentia et animi leuitate, vel aliorum
 improbitate et lucri cupiditate perturbetur ac euertatur.

§. 8.

Restat, vt, quid de re tam dubia statuamus, ingenue fateantur.
 Primo igitur, quo facilius omnia perspiciantur, ea, quae iam exposui-
 mus, huc repetere, et deinde, quae praeterea monenda sunt, addere
 liceat.

I. Renunciatio contra leges *permissivas* valet sub limitationibus §. 2.
 expositis. Hic enim applicanda est *L. pen. C. de pactis: Omnes
 licentiam habent, his, quae pro se introducta sunt, renunciare.*

II. Leges, quae eum, cui latae sunt, perfecte obligant, vel
 I) Praecipunt aliquid:

A. Salutis publicae ratione habita, in hoc casu cum omnia ad
 felicitatem reip. augendam et tuendam spectent, renun-
 ciatio prorsus cessat. Hic enim applicanda est *L. 38. D. de
 pactis: ius publicum pactis priuatorum mutari nequit.*

B. Leges iniungunt, vt aliquid obseruetur, vel alteri praeser-
 tur, quod proxime spectat ad commodum priuatum. In
 hoc casu ius praeceptiuum habet vim cogendi hypotheti-

cam, et ratione eius, cuius vtilitati prospicitur, iuris permissiui naturam induit. Hic igitur his legibus recte renunciat;

- a) *expresse*, si cum alio hac de re paciscitur;
- b) *tacite*, si ius suum ipsi ab altero denegatum non persequitur. Hinc heredes testamentarii portioni ex legum dispositione ipsis debitae valide renunciant.

Alteri renunciatio non permittitur, nisi consensu eius, de cuius commodo quaeritur interueniente et conuentione hac de re inita. In omnibus enim rebus, quae non ad publicam laesionem, sed ad rem familiarem respiciunt, pacisci licet. *L. 14. D. de pact.*

C. Interdum vero etiam praecipitur alicui aliquid in vtilitatem sui ipsius obseruandum. In hoc casu renunciatio non admittenda est, nisi lex eam vel simpliciter, vel certo respectu concedat.

a) Eadem est legum prohibitiuarum ratio.

A. Prohibitio spectat ad salutem publicam, et pertinet

- a) ad ea, quae iura ciuitatis directe et animo consulto laedunt;
- b) modos impediunt, quibus felicitatem, quae nobis contingere potest, nanciscamur.

In hoc casu is, ad quem prohibitio spectat, vti sponte intelligitur, nulla ratione a legis obligatione se liberat, quamuis is, qui ex tali facto laesionem proxime sentit, satisfactioni, quae ipsi tanquam privato debetur, valide renunciet, saluo tamen iure ciuitatis tanquam corporis laesi, poenam exigendi et eiusmodi actibus effectum denegandi.

B. Pro-



B. Prohibitio tendit ad commodum priuatum, huc pertinent ea, quae de legibus praeceptiuis sub lit. B. dicta sunt.

C. Interdicitur vero etiam alicui aliquid in sui ipsius utilitatem. Hic, uti et in legibus praeceptiuis, regula: „quilibet „fauori pro se introducto renunciare potest,“ non est applicanda.

Cum enim appareat, legislatorem his praeceptis ciuibus ipsis iudicium de eo, quod iis vel profit, vel obfit, relinquere noluisse, sed potius sibi vindicasse, et tales leges vim habeant directe obligatoriam, renunciatio locum inuenire non potest, nisi leges eam vel simpliciter, vel certo respectu concedant. Sic vxor consensum in alienationem fundi dotalis interponere nequit; ²⁴⁾ ei tamen alienationem impugnare non licet, si ab initio consensit, eam biennio elapso, ratam habuit, et mariti bona sufficiant, ut de damno metuendo securam praestetur. ²⁵⁾ Hoc igitur exemplum est, ubi ipsa lex renunciationem contra prohibitionem alienationis in vxoris utilitatem introductam, admittit. Eodem modo vxor in quibusdam casibus legibus expressis Scto Velleiano valide renunciare potest. ²⁶⁾ Quae dispositio vsu fori contra ipsam legislatoris intentionem latius extenditur. ²⁷⁾ Singulas tamen leges prohibitivas, in quibus ipsae leges renunciationem admittunt, et praesertim quae nam vis iuriurando in tali casu tribuenda sit, alio tempore, si commoda nobis scribendi occasio oblata fuerit, vberius tradere constituimus.

24] *L. vn. C. de rei vx. act.* Glück. I. c. pag. 110.

25] *Nov. 61. Cap. 1. §. 3.*

26] *Nov. 94. Cap. 2. Nov. 118. Cap. 5.*

27] Hoc clare ostendit Weber *I. c. pag. 307.* ibique cit. Hellfeld in *Comment. de intercessione mulierum ex Scto Velleiano. Leyf. Medit. ad P. Sp. 170. Quisforp. in den Beyträgen zur Erläuterung verschiedener Rechtsmaterien N. 24. pag. 370.*

Addendum. p. 15. §. 7. ab init. post verba: si quis ei, renunciat.

ULB Halle


004 334 728

3



Sb.







B.I.G.

Farbkarte #13

177.

13

1792
12

VTRVM ET QVATENVS LEGIBVS PRAE-
SERTIM PROHIBITIVIS RENVN-
CIARI POSSIT?

DISPVATIO
QVAM

PRAESIDE

D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSILII SVMMI
PROVOCATIONVM SENATVS DECRETALIVM PROFESSORE PVBLICO
FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIO CONSISTORII ECCLE-
SIASTICI DIRECTORE CVRIAE PROVINCIALIS
ET SCABINATVS ASSESSORE

DIE XXI. AVGVST. A. S. R. CI^oDCCLXXXII.

H. L. Q. S.

DEFENSVRVS EST

AVCTOR

ERNESTVS FRIDERICVS PFOTENHAVER
DELITIENSIS.

VITEBERGAE,

EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS.

